



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Nonum instrumentum ad Virtutem, aßidua operum cuiusque virtutis  
exercitatio. Cap. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



# PARS QVARTA

De Instrumentis assequendæ Virtutis, in actione positis.

**C**VM Habitus Virtutum sint propter earundem virtutum actiones, & ad hoc illi à Deo infundantur, vel à nobis acquirantur, non ut otiosi in viribus nostris resideant, sed ut data opportunitate in opus exeant, manifestum est, quoniam præcipua assequendæ virtutis instrumenta, non tam intellectu ac voluntate, quàm actione complentur. Et si aliquando functio intellectus & voluntatis, maximè ad virtutem adipiscendam subseruit (sicut re vera subseruit) non id habet quatenus cognitio aut affectio est, sed quatenus est interior virtutis actio, melius sepe virtutem generans (ut inferius dicemus) quàm opus exterius. Hoc ita esse, vniuersa sacra Scriptura clamat, que non tam ad intelligendum & desiderandum, quàm ad bene operandum nos vocat. Et quasi opera sint ad vitam eternam assequendam præcipua, quidam ad salutem animæ promerendam inuitati dixerunt ad Dominum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei, ut scilicet diuina mandata custodiamus? ] Paulus quoque Philippenses monet: Cum timore & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere. ] Non ad sola desideria virtutum, sed ad opera eos prouocat, & non ad quæque opera, sed ad ea, quæ timor & tremor, id est, cor humile, & sibi ipsi diffidens, in Deo autem confidens, elicit, prudenter instimulat. Deumque operari in nobis velle & perficere, docet, non solum ut eum omnis boni auctorem prædicemus, sed ut etiam velle, id est, affectus voluntatis, propter perficere, nempe propter opera, esse cognoscamus. Instrumenta igitur acquirendarum virtutum, ad opus pertinentia, quatuor esse videntur, quæ viros religiosos, & spirituales mirum in modum ad omnem perfectionem iuuant. Hæc autem sunt: Actionum cuiusque virtutis diligens & assidua exercitatio; nulla occasione exercendæ virtutis prætermisio; vitæ regularis sequela; & inuiolabilis regulæ seu instituti custodia; de quibus in hac quarta tractatione agendum est.

Ioan. 6.  
28.

Philip. 2.  
11.

Nonum Instrumentum ad Virtutem,  
Assidua operum cuiusque virtutis exercitatio.

## CAPVT I.

**P**RÆCIPVA Causa exigui profectus in his, qui vitam spiritualem profitentur, non defectus cognitionis aut desiderij, sed defectus exercitacionis esse solet. Illos enim aut quotidiana spiritualium librorum lectio, aut assidua Prælatorum exhortatio satis instruit, & pulchritudo virtutis illis oblata, non parum desiderium eius accendit: sed difficultas moderandi passionis, actionibus virtutis adiuncta, ab illis cessare facit, & illis prætermisissis, mens cum ingenti sui profectus detrimento ad alia, si non noxia, at inutilia, diuertit. De tempore aduentus Christi & legis gratiæ dictum est in Isaiâ: Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes: ] quia nimirum corda terrena, Dei & mandatorum eius cognitione non aliter oppleta sunt,

Isa. 11. 9.

**A** quàm arena, in profundo maris delitescens, aquarum multitudine immensa celantur. Quasi nullum, aut sanè paucissimos, & ineptissimos iam in Ecclesia reperies, qui non tantum vnum agnoscant Deum, quod natura ipsa clamat, verum & personarum Trinitatem, & Filij Dei incarnationem, & reliquos fidei articulos non calleant, & quid malum, quid bonum sit, non facili negotio discernant. Quod si iam non homines de media plebe, sed alios politiores & selectiores interroges, tam aptè de virtute ac rebus diuinis differant, ut scientiam Domini, terram replentem & operientem ignorare non possis. Impletum sine dubio est, quod scripsit Ieremias: Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognitione Domini: omnes enim cognoscent me à minimo eorum, usque ad maximum, ait Dominus. ] Omnes, inquam, agnoscent Dominum, quoniam voce Evangelij sunt sufficienter instructi, & doctorum prædicatorumque sermonibus eruditi. Si verò omnes pene fideles sufficienti Dei ac virtutis notione fruuntur, quanto magis vitæ spiritualis sectatores scientia spiritualium rerum abundabunt? Lucerna eminus positos luce perfundens, cominus positos, & quasi

Ierem. 31.  
34.



Ioan. 1.9

Gen. 45.9

Exod. 10. 23.

Psal. 22.1

Basil. libi.

Ierem. 3. 15.

2. Petr. 2. 21.

Sap. 7.9.

adherentes sibi efficacius illuminat: Sic Christus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. ] Spirituales virós sibi vitæ imitatione propiores multo clariús & efficacius illustrat. Et quemadmodum Ægyptus satis Nili inundatione fecunda, partem quandam habebat omnium fertilissimam, nempe terram Gessen, quam Patriarcha Ioseph patri & fratribus, habitandam concessit: Misitque, qui diceret ad Iacob patrem suum: Descende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Gessen: crisque iuxta me tu & filij tui, & filij filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & vniuersa, quæ possides; ibique te pascam. ] Sic verus Ioseph, Christus, vniuersum mundum, Ægypto signatum, aqua fluminis magni, nimirum Euangelij, rigauit, & veritatis doctrina circumdedit, at terram Gessen, quam Beda interpretatur terram complutam, id est, virorum spiritualium statum, maiori cognitionis abundantia ditauit. Ad hunc statum hortatur ille fratres suos, vt descendant, eos scilicet, quos non iam vt seruos tantum aut amicos, sed ceu fratres diligit, quia vt illum profiteantur, necesse est elationem deponere, & mentis humilitatem, rerumque terrenarum despicientiam sectari. In sæculo ex culpa hominum aliquando sunt tenebræ, quia seiplos insatiunt, & lucem Dei, illis abundanter oblatam, caligine curarum obrutam & obscuratam tenent: at in statu nostro, iuxta illud, quod dicitur in Exodo: vbicumque habitabant filij Israel, lux erat, ] abundantia cognitionis diuinæ non deficit. In hoc statu tanta est scientiæ copia cognitionisque abundantia, vt quisque eorum, qui eum colunt, merito dicat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. ] Pascuæ enim locum, vt ait Basiliius, sacram diuinorum oraculorum doctrinam vocat. Cui sensui astipulatur Dominus per Ieremiam, dicens: Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascet vos scientia & doctrina. ] Pascuntur itaque scientia & cognitione Dei, & in hac parte tam assidue à Domino per se & per alios instruimur, vt reliquis hominibus, qui non tam vitæ spirituali, quam rebus temporalibus adhaerescunt, in immensum prælati simus. Quod quidem debet timorem incutere, si iuxta cognitionem nobis datam non viuamus. Ait enim Petrus Apostolus de his, qui sciunt, & non faciunt: Melius erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. ]

Nec longè absunt ab spiritualibus viris desideria virtutis, quæ quotidie rerum diuinarum meditatione, & assidua lectione, & sacra doctrinæ à prælatis propositæ auditione succedunt. Virtus namque illorum oculis semper obiecta, cum sit admirabilis, & fulgentissimo splendore decora, non potest non in eorum mentibus igniculos desideriorum ingerere. In qualibet republica ea magni æstimantur, & auidius desiderantur, quæ homines nobiles & potentes faciunt, & pro rebus pretiosis habentur. In cætu autem iustorum nullæ aliæ diuitiæ, nulla potestas, nec nobilitas, nisi virtus agnoscitur. In cuius comparatione omne aurum arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. ] Et quidem merito, quoniam argentum immo dica sui concupiscentia, non aliter quam lutum animam fœdat; & aurum, si ad fœlicitatem mercandam comparetur, non pretiosius est, quam exiguus arenæ puluiculus. Virtus autem, quamuis parua & minus perfecta, initium est magnarum opum, quæ

A auca & ad perfectionem necessariam prouecta, se possidentem nunc magnificat, & post mortalitatem gloria multiplicat. Ea quoque ab hominibus appetuntur, quæ licet premant, & onerent, simul cum onere honorem inuehant. Virtus verò vel ex eo est omni honore seculari desiderabilior, quòd ita maximo honore afficit, vt iustum eam habentem potius leuet, quam oneret. Ideoque desideratur vt penna, quæ ita auem ornat, vt etiam in alta loca sustollat. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, inquit sanctus Dauid, & volabo, & requiescam: ] Ab iniquis & peccatoribus vult discedere, & ideo pennas columbæ cupit, & alas, quæ aut honori sunt, & pro vehiculo illi seruiunt, exquirunt. Pennæ cornuorum, quibus cornus ab arca discessit, & nunquam ad eam est reuersus, vitia: pennæ autem columbæ, quibus nimirum ab arca, id est, a quiete mentis per sanctam actionem egreditur, vt ad eam iterum reuertatur, virtutes sunt: Pennæ columbæ deargentatæ: ] quia si hæ pennæ, vt putat Augustinus, duo sunt præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet & Propheta, quid melius quam omnes virtutes significant, quarum actibus duo hæ præcipua mandata dilectionis implemus. Ob has pennas iusti vocantur in Psalmo volucres pennatæ, quibus ad excelsa subleuantur. De illisque dicitur in Prouerbiis: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. ] Id est, ante oculos elektorum, qui, vt ait Beda, pennas habent spei, & charitatis, ceterarumque virtutum, quibus & cælestia, dum viuunt, desiderant, vt ad hæc post mortem mereantur pertingere. ] Si ergo virtus & thesaurus est, & honor, & dignitas, quid mirum, si iustus eam appetat, & super omnia desiderabilia concupiscat: Hæc autem non aëris, sed cæli, suas alas desiderat, quarum subsidio terrena fugiat, & emanibus aduersariorum euadat.

Et si autem virtutem probè sciamus, & appetamus, sapissime virtutis pauperes, & vacuissimi, quoniam ad eam assequendam non sufficit notio, nec desiderium, nisi assidua & diligens exercitatio eiusdem accedat. Aliud est, multas diuitias scire, inquit Bernardus, aliud possidere: nec notitia diuitem facit, sed possessio. Sic hominem iustum non facit notio, sed possessio iustitiæ. Et Basiliius cum viam ad humilitatem, humilitatis actus esse docuisset, subdit statim: Vix enim hoc modo per assiduum meditationem ad habitum humilitatis poterit peruenire, vt in artibus fieri consuevit. Porro idem modus assequendi nihilominus etiam est in quacumque alia virtute. ] Quanti sunt, qui montem illum apud nos, & apud omnes nationes nominatissimum, quem fontem argenti ac diuitiarum vocare possumus, noverunt, viderunt, & pedibus sæpe calcantur, & tamen pauperissimam vitam ducunt, quia, quas vident, diuitias non possident, & vsu, ac facultatem tam innumerabilis argenti non tenent: Ita sunt pluri, qui humilitatem, mansuetudinem, obedientiam, & alias virtutes agnoscunt, & de naturis earum multa subtiliter philosophantur, imò eas habere concupiscunt: quia tamen ab ipsarum actionibus abstinent, nunquam sunt virtutum possessores. Virtus enim non in notitia sola, nec in desiderio, sed in actione est, & ille iustus est, qui virtutem ac omnem iustitiam operatur, non qui intelligentia capit, aut sermone proloquitur. Quid prodesset, o iuste, ad famem depellendam, aut ad extinguendam sitim, si varios cibos & lauta conuiuia considerares, & putissimos aquæ fontes, & generosa vina animo fingeres? Equidem si nec illos cibos manducaueris, si

Psal. 54. 7.

Psal. 64. 14. Aug. ibi.

Psal. 118. 10.

Prou. 1. 17.

Bern. ser.

Basil. reg. breui. ad interrogat. 158.

nec

De Reg. Ton



nec illam aquam vinumque potaueris, semper fame & siti torqueris. Ita prorsus virtutem cognoscere, virtutem concupiscere, nihil aliud est, quam cibum & potum animæ meditatione apprehendere; virtutem verò actione completere, est cibum hunc manducare, & in stomachum traicere, & spiritus calore concoquere. Si hæc prætermittas, & soli labori desiderij, & considerationis intendas, nunquam robur, & vitam ex virtute prouenientem assequeris. Eliæ fugienti Iezabelem, & ad tutiora loca properanti, non dictum est: Surge, & cognosce panem, aut surge, & concupisce: Sed, Surge, & comede, grandis enim tibi restat via. Idem præceptum omnibus iustis imponitur: vt si volunt ad montem perfectionis ascendere, non sint sola virtutis cognitione, aut solo desiderio contenti, sed auide panem virtutis comedant, id est, actionibus eiusdem insistant.

3. Reg. 19. 7.

Ansel. li. de siml. c. 160.

Quippe, sicut corpus humanum, inquit Anselmus, sine frequenti ciborum vsu nequit subsistere; sic anima absque virtutum frequentatione non potest viuere. Qui ergo ad affectum bonitatis venire desiderat, necesse est, vt cum scientia, & voluntate etiam ipsum vsum habeat. Et ecce causam imbecillitatis multorum: Quod si ex hoc pane virtutis comedunt, satis parum comedunt, & raro aut remissè actiones virtutis exercent, & ideo vires, & robur perfectorum minime assumunt. Omnes artes, quæ in actione consistunt, non sola arida notitia, nec solo infirmo quodam desiderio, sed exercitatione discuntur: & ille peritior euadit, qui diligentius & perfectius artem exercet. Virtus autem licet non sit ars, sed omni arte ac scientia sublimior, tamen in hoc cum arte consentit, quod in actione consistit. Iecirco de Christi oculis, id est, de iustis, qui alios viam patriæ cælestis docent, scriptum est in Canticis: Oculi eius sicut columbæ super triuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluentia plenissima. Ob mentis puritatem candidissimis columbis comparantur, quæ lacti, nimirum gratiæ spiritui, merguntur. Fluenta verò iuxta quæ resident, ipsas virtutes designant, quæ ad modum fluminum nunquam se sistunt, sed semper actionum frequentia quasi noua aquæ accessione decurrunt. Et oculi sponsæ, id est, Ecclesiæ, qui eorundem iustorum sunt imagines, nam idem sunt oculi capitis, & corporis, dicuntur esse sicut piscinæ in Hesebon: sicut enim fontium est aquam emittere: ita & virtutum, quæ fontes sunt bonarum actionum, honestas actiones profere. Si ergo virtus actione generatur, actione prouehitur, actione perficitur, absurdum est, sola cognitione & solo desiderio eam velle conquirere.

2. 7. 9.

Cant. 7. 4.

Dorothe. doct. 8.

Ansel. de siml. ca. 153.

Quis enim hominum, inquit Dorotheus, volens disciplinam vnam aut artem imbibere, illam solo sermone consequatur? Facere vtiq; primum perseuerat omni studio, diligentia, deinde iterum facit, delètque: atque ita peditentim labore multo artem ipsam & disciplinam apprehendit. Nos verò artem artium solo sermone credamus apprehendere absque opere? Hoc nequicquam licebit. Et ad idem pulchrè Anselmus inquit: Vi si quis, qui citharista esse debuerit, citharam non cognouit, qualiter citharædus erit? Si etiam instrumentum illud non agnouerit, & si agnouerit, sed tangere illud noluerit, qualiter citharædus erit? Si autem illud agnouerit, & tetigerit, sed eius vsum habere contempserit, nunquam propter cognitionem & voluntatem, sine vsu huius artis peritus erit. Taliter namque licet quis habeat scientiam bene viuendi & voluntatem, nequaquam bonus erit, nisi etiam boni operis vsum tenuerit, iuxta suam possibilitatem. Hæc illi.

**A** Iter igitur ad virtutem, eius exercitatio est, & qui vult aliquam virtutem adipisci, cognitioni eius, ac desiderio assiduam actuum eius exercitationem adiciat. Vis, o homo Dei, humilitatem? Non ergo putas satis esse si eius naturam agnoscas, si eius pulchritudinem cupias, nisi & ipsius actionibus studeas. Absconde ex desiderio te ipsum abiciendi, bona tua, & detege, si ædificationi non obstitit, defectus tuos. Colloca te in loco infimo, ad ministerium externa specie abiectum te applica, & quicquid modestiam & humilitatem redoler, libenter amplectere, & sic efficietis humilitatis modestiæque possessor. Vis castitatem? Castiga corpus, cohibe sensus, ama fessionem à personis suspectis, paruulos Babylonis; id est, primas luxuriæ cogitationes, & leuissimos concupiscentiæ motus ad petram, Christum, allide, & castitatem habebis. Vis obedientiam? Propriam igitur voluntatem obedientiæ inimicam odio habeto, ductum Prælatorum libenter sequitor, & occupationes tibi à superioribus iniunctas amaro. Quamcumque virtutem volueris, propriis eius actibus vel efficiendo, vel obripendo à Deo, gignes, & iteratione actionum assidua ad perfectionem vsque promouebis. Virtus enim quælibet aliquam partem nostri vitiatam, & à domino refectionis deficientem, suis actibus vincit: qui actus, si desint, nec illam à vitio eximent, nec hostes illos vitæ spiritualis ingressum impediens prosternent. Et, vt Ambrosius sapienter scripsit: Sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus.

**B** Nam hæc est, quæ pro armis illi est: & sine exercitatione, sicut miles inermis, à vitio deiecta & dissipata succumbet. Ideoque sæpe in scripturis sacris ad virtutum actiones monemur, quia & studiosæ actiones virtutes nondum quasitas generant, & genitas in suo splendore & virore conseruant. Accedentem, inquit, ad Deum, oportet credere. Et: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Et: Diliges Dominum Deum tuum. Et: Ambulate per vias prudentiæ. Et: Facite iudicium, & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris. Et: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. Et: Sicut in die honestè abulemus, non in comestationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis. Hæc omnia nihil aliud quam virtutum exercitationem sonant, quæ ornamenta animæ, & ipsos virtutis habitus paramus, quibus & vitia Deo iniusta destruinus; & pulchri in conspectu eius efficiunt. Hoc est tributum, quod vniuersorum Domino pendendum est, ratione cuius nos seruos agnoscat, & vt familiares suos, & ad suam domum pertinentes, in signibus suis, nempe virtutibus, amicit. Nec immeritò hoc tributum ex pecunia nobis donata exigit, quia eam vt lucraremur, & cum vsuuis restitueremus, humanæ industriæ, gratia adiuta, commisit. Virtus autem quasi pecunia est, quam Deo donante recipimus, vt assiduis actionibus quasi sollicita negotiatione ad nostram vilitatem & eius gloriam angeamus.

Amb. lib. 1. de Cain c. 4.

Hebr. 11. 6. Prou. 3. 5. Matth. 22. 38. Prou. 9. 6. Ierem. 22. 3. Psal. 30. 25. Rom. 13. 13.

**C** Ad hanc autem assiduam exercitationem actuum virtutum, non solum desiderium adipiscendi eas vsu huius instrumenti præcipui, sed etiam timor diuinæ comminationis potest impellere. Dominus enim (quod est obseruatione dignissimum) non tantum eos reprobat, qui perpetam egerunt, verum & illos quoque, qui ab actionibus bonis cessarunt, æternis que additi cruciatibus audiunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, & cætera. Et illi, qui talentum abscondit,

**E**

Matth. 25. 42.



Ib. 7. 27.

Chryf. in  
imperf.  
hom. 53.

non quia illud dilapidavit, sed quia occulit, dictum est: Serue male & piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura. Merito vero ita reprehenditur, qui notitiam diuinorum vno talento signatam, ad actionem non contulit, & ex eo quod secundum quod agnouit, operatus non est, eam otiosam habuit. Sicut enim pecunia hæc corporalis, inquit auctor imperfecti, si sit in sacculo inclusa, ipsa est semper, si autem fuerit agitata de manu in manum, vsu ipso multiplicatur. (vnde vsura dicitur ab vsu.) Sic & fides Christi, siquidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet, quæ fuit, sed adhuc minoratur in otio, & torpescit, & segnis efficitur, & paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit, scripturis & loquutionibus assiduis suscitata, operibus bonis viuificata, non solum dico, multiplicabitur, sed nunquam desinet crescere, donec viuet homo.] Sic ille. Atque adeo ex defectu exercitationis virtus, non solum non crescit, verum & paulatim deficit, immoderatis affectibus eam opprimentibus, & ipsius vires illigantibus. At exercitatio assidua diligensque virtutem roborat, & operibus virtutis incumbentem à pœna otiosorum & talentum abscondentium liberat, & statum spiritualium virorum quasi debitis fructibus exornat. Nam quid, quæso, est spiritualis vita, virtutum operibus vacua? Nonne effigies rei viuentis, quæ sensus & actiones vitæ refert, & omni sensu & actione vacua est? Nonne lyra taciturna ad dulces sonos edendos effecta, & ob negligentiam possessoris eius omni sono & harmonia priuata? Nonne nauis nunquam enauigans, & in portu carie tabescens? Nonne plumbea lancea, quæ specie quidem externa hostibus formidabilis videtur, & perpicacius nota contemnitur? Ita sanè. Vnde si iustus cupiat huic vitæ suæ veritatem & spiritus substantiam tribuere; si velit eius ornamenta, nempe virtutes, procreare, & iam pullulantes prouehere, & vsque ad perfectionem perducere, hæc illi præcipua cura sit, vt actiones ipsarum proferat, nec solis desiderijs animum pascat. Cognitio sanè virtutis necessaria est, sed sicut basis, cui columna virtutis nititur, & vt fundamentum, super quo domus virtutis extruitur. Desiderium etiam necessarium est, sed sicut aculeus, quo ad virtutem quærendam excitamur, & segnes manere ac dormire non sinimur. At actio ipsa studiosa est, velut iter, quo ad virtutem tendimus: Est velut præcipua causa ex his, quas nos adhibemus, quæ virtutem procreat, & semel procreatam augmentat. Actio, est præcipuum assequendæ virtutis instrumentum, quo si non vtamur, omnia alia cassa, & inefficacia ad virtutem obtinendam manebunt. Nam virtutem comparate, non est eam agnoscere, aut concupiscere, sed actione complere.

Virtutem interioris & exterioris exercendam esse.

## CAPVT II.



Præcipuum instrumentum ad virtutem adipiscendam est eius exercitatio, nunc, quomodo exercenda sit, inquitamus. Quia non sufficit alicuius artis discipulo, instrumenta artis, quam discit, scire, sed necesse habet modum, vtendi eis, & mouendi cognoscere. Ponamus ergo virtutes pro-

pter actionem hominibus datas esse, eaque (vt diximus) sine actione, si adsint, otiosas esse, & si non adsint, sine actione non gigni. Quod disertissime docuit Prosper Rhegiensis, sic scribens: Virtutum quippe munera otiosa esse non possunt. Quoniam sicut veritas ait: Omni habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet, auferetur ab eo.] Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiscentiis non repugnet. Nec ideo cuiquam tribuitur sapientia & intellectus, vt non [die, ac nocte in Domini lege meditetur.] Quid agit donum dilectionis, si benevolentia sollicitudo non vigilat? Quis fructus est patientiæ, si non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Christo pie viuere ostenditur, qui nulla perfectione pulsatur? Vel pax, quæ est à Deo, & cum Deo, nunquid bene quietata est, si non discordat à mundo? Aut amor Dei poterit sine diaboli inimicitijs obtineri? Neminem profus Dei gratia intentabilem facit. Nec ob hoc celestium armorum præsidio, à dextris & sinistris instruitur Christiana militia, vt nullo cum hoste confligat, cum laudabilis sit atque felicitis, pugnante non potuisse vinci, quam desiderem non potuisse tentari.] Hæc ille. Actiones autem, quibus virtus qualibet generatur, & crescit, sunt duplices: alteræ internæ, alteræ externæ; & tam istæ, quam illæ, vel sunt alienæ, vel propriæ, & in his omnibus necesse est, vt virtutum spiritualium defudet industria.

Hoc est viri iusti & spiritualis elogium, quod in eo omnes neruos suæ mentis intendit, vt Christi Saluatoris imaginem induat. Scit namque scriptum esse: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.] Christum autem induere, nihil aliud est, quam opera carnis deponere, iter vitæ spiritualis arripere, & vitæ Saluatoris nostri fieri conformem. Innotuaris spiritu mentis, inquit Ambrosius, nouum hominem dicitur indutus, qui est Christus: Christum enim induitur, qui per fidem renatus in Christo, æmulus est vitæ, quam tradidit Christus, vt iuxta Deum creatus videatur. Vita autem Christi, si attentius inspicatur, virtutum omnium actionibus, tum internis tum externis, reperiatur esse contexta, & operibus, quæ vnum possunt, & aliud faciunt, videbitur esse ditata. Exponamus hæc tria, quæ exquisitissimam nobis subministrant spiritualis vitæ doctrinam. Saluator noster Christus ita externis actionibus virtutum incubuit, vt nulla fuerit actio eius; quæ præstantissimè ad virtutem non pertinuerit. Sermonem eius veritas, fidelitas, charitas afficiebat, quodlibet opus eius mansuetudo, humilitas, beneficentia, misericordia, & virtutes reliquæ decorabant. Aut potius virtutes operibus & verbis eius exornabantur, quæ eo ipso sunt celsiores, quod à filio Dei per humanitatem assumptam fuerant executioni mandata. Opera eius opera virtutis erant in initio, quia non ex consuetudine, sed propter gloriam Dei Patris, & salutem hominum, & ad dandum exemplum perfectæ vitæ assumebantur. Opera virtutis erant in progressu, quoniam ex eadem intentione sanctissima, sine vlla vtilis metalli admixtione continuabantur. Opera virtutis erant in fine, quia prout oportebat, tempore spatio perdurabant, & intentum fructum obtinebant. Nihil aspicietur in eo, quod non infinitis modis virtutem edoceret, & sanctitatem ineffabilem aspicientium oculis demonstraret. At interna mentis eius occupatio, non aliud quam sapientia, charitas, iustitia, puritas, & omnis virtus, ac sanctitas fuit. Hæc intellectus eius, & voluntatis humanæ opera, externas actiones regebant, & quasi vita fouebant, & in

immem

Prosper.  
lib. 2. de  
vocat. ca.  
35.  
Matth.  
25.  
Psal. 1. 2.

2. Tim. 3.

Ephes. 4.  
24.

Ambros.